

Bibliothèque numérique

medic@

**Brayer, Adrien - candidat / Pietre,
Nicolas - président. - An animi mores
sequuntur temperamenta corporis ?**

1598.

[Paris]

Cote : ms 73 n°279

MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIX. NOVEMBRIS.

D. NICOLAO PIETRE DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An animi mores sequuntur temperamenta corporis?



VM anima sit forma viuentium, quædam autem viuant vegetando, vt stirpes, in quibus altrix anima dominatur (cui ministrant attritrix, retentrix, coactrix, & expultrix) quas falsò Pythagorei sentire iudicauerunt eo quod traherent alimentum cum delectu, vile quippe & naturæ suæ conueniens de terra per fibras sugunt, alienum vero respuunt ea vi qua materia formam appetit, elementa sua loca. Alia viuunt sensu, vt belluæ, quæ etiam si ab appetitu ad persequendum vile, & fugiendum noxium impellantur, vtrumque tamen sensu (potissimum vero tactu) discernunt: vnde phantasia istarum morionum principium constituitur non appetitus. Viuentia melioris naturæ vt homines, reguntur ratione, cui dum paret appetitus non tantum profert virtutes morales, sed etiam seruandæ mediocritatis in perturbationibus omnibus est autor.



RIFLICEM appetitum natura locis disclussit. Cupiditatem enim in iecore collocauit, iram in præcordijs, Voluntatem in Cerebro: appello cupiditatem non tantum cibi & potus, sed etiam veneris appetitum illum qui a iecore in testes propagatur: iram vero feruorem sanguinis ob appetitum vindictæ: voluntatem non tantum vtilis & iucundi, sed honesti potius vel inhonesti desiderij. Ad voluntatem pertinet veritatis, scientiæ, & rerum honestarum: ad iram potentia, victoriæ, gloriæ, & libertatis: Ad concupiscentiam esculentorum, potulentorum, & veneris voluptatis cupiditas.



T quatuor elementa qualitatibus primum alterata deinde formis vnita, mixtorum omne genus proferunt: quæ a qualitatibus dominatu manifestas, a forma occultas vires sortiuntur: sic ad animalium perfectorum, atque imprimis hominis generationem duo coniuncta & sensibilia principia concurrunt, semen & menstruum, ex quorum varia mixtione quinque temperamentorum differentia cõsurgunt, Sanguineum, Biliosum, Pituitosum, Melancholicum, & omnium mediocritate temperatum, quæ sunt sanguineorum animalium propriæ, quemadmodum mixtorum omnium communes quæ a qualitatibus peruntur nouem differentia, quatuor simplices Calidum, Frigidum, Humidum, Siccum: totidem compositæ, Calidum humidum, Calidum siccum, Frigidum humidum, Frigidum siccum, & ex illis temperatum: quod malim quintam qualitatem quatuor primarum vires complectentem definire quam omnium concentum.



TEMPERAMENTO mixtionis respondet humorale, quia calor siccus bilis, humidus sanguineus producit, frigus humidum, pituitum: siccum melancholicum humorem: parumque refert si quem calido siccò, an bilioso dixeris temperamento, calido humido, an sanguineo: quæ etiã si per ætates simul immutentur, prima enim ætate calida & humida sanguis dominatur: secunda calida sicca, bilis: tertia frigida & sicca, melancholicus humor: postrema frigida humida, pituita: in quorũ symmetria sanitas, ametria morbi: tamẽ ad extremũ vsq; diẽ natui permagnet veltigiunt: vt qui natura calidus siccus fuerit, toto vitæ decursu talis erit. Natura quippe fixa & mutari nescia.



ILLI OSI solent esse peruigiles, interitici, ad agendũ promptissimi, & ingenio solertes & sagaces, gula & veneri minus addicti: Pituitosi vero pigri, somnolenti, pusillanimes, pusillissimi, vinosi, & acriores. Melancholici iudicio magis excellunt, minus inuentione, pertinaces, edaces, libidinosi, meticulosi, anguntur animo, expertes omnis voluptatis: Sanguinei faceti, iucundi, affabiles, ad venerem procliuēs, & omnium aptissimi, talesque animæ mores singulis ætatibus pro dominatu humoris plus minus immutantur.

Ergo animi mores sequuntur temperamenta corporis.

PONEBAT ADRIANVS BRAYER CASTROTHEODORICVS, Anno Domini 1598.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Ioannes de Renou.
M. Petrus Pijart.
M. Nicolaus Tabot.

M. Antonius de Cappe.
M. Ioannes Groust.
M. Simon Pietre Prof. Reg.

M. Ioannes Martin Med. Reg.
M. Claudius Bazin.
M. Henricus Blacud.